



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Sucquet E Societate Iesv Via Vitæ Æternæ

Sucquet, Antoine

Antverpiae, 1630

Cap. 35. de meditandi methodo

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54856](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54856)

CAPVT XXXV.

*De meditandi methodo, quâ anima à terrenis
elevatur in Deum.*

*Hom. 4.
c. 50.
Oratio quâ
necessaria.*

CVM teste D. Augustino, rectè noverit vivere, qui rectè novit orare; oratio autem ea, quæ meditatio dicitur, pro cæteris utilis, ac Deo sit accepta; visum mihi est pluribus de eâ dicendum, & adminicula si quæ possem omnium quidem, sed maximè Religiosorum utilitati accommoda proponenda esse. Omnis enim religio absque orationis & contemplationis studio arida est & imperfecta & ad ruinam promptior, si D. Bonaventuræ credimus.

Bonavent.

Neque tamè iis solùm, ut dixi, sed omnibus dicata est hæc qualis qualis industria, qua ea quæ in auctoribus leguntur, etiam imaginibus expressa sunt. Juvare hæc poterunt omnes in ariditate animi, simpliciores verò semper ad attentionem utilioremq; meditationis usum. Nam qui hæc methodo utuntur, superabunt facile ea duo, quæ meditationem sæpe difficilem & infructuosam facere solent.

*Duo orationis
impedimenta.*

*Imaginationis
instabilitas.
Imaginum
usus.*

Primum est imaginationis instabilitas, quæ post Adæ peccatum omnino effrenis, facit animam vagam toto orbe discursare, nec pijs cogitationibus in hære permitit: ut verò illa coërceatur pijs cogitationibus & imaginibus (ut ita loquar) eam affigere expedit: quod cum ad eò S. Ignatio parenti nostro probaretur, mandavit P. Natali, in hanc rem incumberet, ut vita Christi imaginibus pulcris expressa, meditantium insigni commodo ederetur. Idque quàm verum sit experientia docet; & sacrosancta Ecclesia S. Spiritu edocta, in quâ plurimus imaginum usus est, sua auctoritate confirmat.

*Voluntatis
intellectusque
siccitas.*

Alterum, quod meditantibus incommodum obicitur, est partim in voluntate, partim in intellectu: sæpe enim

enim contingit præ sterilitate, ut nullum formare conceptum, nullam rationem ritè expendere possit: atque ita fit, ut voluntas arida fructus bonorum desideriorum minimè proferat. Tollitur illud multiplici & attentâ consideratione eorum, quæ omnibus communiter ferendis, vel irrigandis virtutum seminibus inserviunt, ut sunt loci aliqui divinæ Rhetoricæ, seu orationis, v. g. mortis, aliorumque extremorum consideratio: Christi & Sanctorum exempla, & alii quos infra prolixè prosequimur.

Verumtamen, neque qui plantat, neque qui rigat est aliquid; sed qui incrementum dat Deus: quem necesse est radiis suis animam illustrare, ut flores appareant, & fructus nascantur in terrâ nostrâ, & cum sine administrulis his meditari potes, non est quod ea requiras, sed spiritum sequere, & ductum illius.

*1. Cor. v.
Nota diligenter.*

Dei itaque gratia in primis imploranda, qua cum is, qui hâc methodo utitur, facilè fructum è meditatione referet, & desideriiis piis animam irrigabit arentem, sterilemque prole fœcundam reddet. Porro superiore libro cum de oratione, tamquam opere satisfactorio actum est, dixi de præparatione ad eam atque ad meditationem; quæ proinde hîc repetere necessum non est, sed peti inde poterunt, quomodo diligenda materia ac legenda, quo pacto meditatio ad defectus superandos dirigenda sit. Neque enim in genere proposita in re morali, efficacia esse solent, sed ad particularia descendendum. Hinc videre est, exercere se nonnullos in fragrantissimo horto virtutum, ac mysteriorum Christi; & tamè æquè arrogantes, sui que amantes, irrefrenatos, inobedientes, & ad externa solatiola effusos, bonum Christi odorem à se minimè spargere. Sed hæc, & quæ ad loci compositionem, orationemque præparatoriam, aliaque huc spectantia, pertinent; ex prioribus libro, ut dixi, sumi pot. runt: nunc de meditatione ipsâ agendum erit.

*Præparatio
qua necessaria.*

In meditatione ad particularia descendendum.

De Meditatione eiusque methodo.

*Qualis cogi-
tatio, talis
ferè homo.*

NOTA, ô Lector, radicem & fontem omnis mali ac boni, felicitatis & infelicitatis tuæ, tuam esse cogitationem. hæc si mala, & voluntas tua eam sequatur, malus es & infortunatissimus: si bona, talisque voluntas tua, bonus & felicissimus. Vides quàm necesse piis cogitationibus mentem occupare, malasque excludere frequenti Meditatione & ruminacione.

*Omniū est
meditari.*

Gen. 24.

*Modus me-
ditandi fa-
cilis.*

Primus.

Adverte præterea voluntatem ab intellectu vix aliter flecti, nisi clarè proponat rei malitiam aut bonitatem, & quidem si crebrò, si diu, eo efficacius. Ecce id si facis, meditaris. Erias, si arduum aut novum putes meditari, aut litteratorum; omni sæculo etiam à sæcularibus & indoctis id usurpatum. Testis David, testis Isaac, qui sub vesperam egrediebatur in agrum ut meditaretur. Et quis, obsecro, de salutis negotio non meditabitur, qui videt sæculi filios in caulibus tractandis, opibus quærendis, & honoribus totos propè dies mente meditari; seu occupari ut ea consequantur? varios ergo meditandi modos accipe.

Primus esse potest simplicissimus, humillimè se statuere coram Deo, animo quieto ac corpore, & velut mendicum ulcerosum, vulnera sua Christo Deo aperire, opemque implorare: vel nudum virtutum vestes humiliter flagitare, vel instar sponsæ charitate plenæ desiderii sponsum invitare, & ad eum suspirare.

Secundus.

Secundus modus. Accipe virtutem aliquam aut vitium, & examina te an signa & gradus ejus habeas, atque contitione excitatâ, obsecrationibus & petitionibus flagita à Deo gratiam. Idem ferè facere potes, si beneficia Dei appendas, & tuam ingritudinem; vel perfectiones divinas, & defectus tuos iis contrarios, & auxilium ab omnipotenti postules.

Tertius.

Tertius. Sententiæ alicujus piæ singula verba ad se reflectendo expendere in præsentia Dei.

Quartus

Quartus & facillimus. Meditationes jam factas aut *Quartus.*
S. Scripturam, aut pium librum legere, mentemque
elevare, pedemque affectus figere cum sapit, & cum Deo
colloqui, idque aut alienis etiam & conceptis verbis
quibus affectus juvari potest, & extendi.

Nota tamen affectus proprios unumquemque ma-
xime juvare, alterius vero, ariditati nostræ & indevo-
tioni succurrere, de quibus Dei gratiâ pluribus infra.
Nunc de meditandi methodo pluscula & accuratiora
prosequar.

Quid ergo Meditatio vel meditari? Est considerare *Quid Medi-*
cum animo suo, & velut in corde depingere myste-
rium, aut doctrinam aliquam è vitâ Christi, vel deni-
que perfectionem Dei cum circumstantiis personæ,
actionum, verborum, loci ac temporis; eo fine, ut ex his
velut floribus, dulcissimum mel instar apum, id est ca-
ritatem colligamus, & aliquam instructionem seu vir-
tutem, ejusque stimulum ad inveniamus, ad mores vi-
tæ conformandos; & voluntatem inclinemus ac per-
moveamus ad propositam virtutem complectendam, *Vitæ avarus*
ita ut instar avari omnia ad spiritualem utilitatem no-
stram referamus, sive de creaturâ aliquâ, sive de myste-
rio, sive Dei beneficio agatur. *omnia ad*
lucrum re-
fert ita me-
ditans.

Dicitur Meditatio esse consideratio, seu intellectus *Est intelle-*
operatio postquam enim memoria rem repræsentavit, *ctus opera-*
tum iterum intellectus velut quidam oculus, eam ejus-
que partes ac circumstantias contemplatur, personæ,
loci, temporis, finis, sive quis, quid, ubi, quibus auxiliis,
cur, quomodo, quando; ac dispicit quid virtutis ex iis
decerpendum seu prosequendum, quid verò vitii fu-
gendum, ut saltem (quam semper propositam sibi
velut finem creationis quisque habere debet) homo
consequatur. Post hæc voluntas, perinde ac auditor, ea, *Voluntatis*
quæ ratio dictavit ac jussit, quasi manu apprehendit *operatio.*
(aut certè nititur) irrito tamen conatu absque Dei
gratiâ, cum nihil ex nobis tanquam ex nobis facere
possi-

possimus. Intellectus igitur quasi canis venaticus, feram suscitatur, quam voluntas instar accipitris nititur apprehendere. neque enim intellectus alio fine suum munus exequi debet. quàm ut voluntas pium ad Deum ac virtutem affectum concipiat, vel eundem augeat & accendat.

*Triples in
meditatione
affectus.*

*Cui triplex
via respon-
det.*

Purgativa.

Triples in primis affectus in meditatione exercetur: Primus, est doloris, Secundus, amoris virtutis; Tertius, amoris Dei: quibus viri spirituales tres animæ vias respondere dicunt, quarum Prima sit, purgativa; Secunda, illuminativa; Tertia, unitiva.

Viam purgativam vocant, quando intellectus animæ peccati sceleratam proponit, ut illud detestetur, atque exterminet; quibus ipsa permota, affectuum suorum pedibus (ut sic loquar) per voluntatem, abeat in timorem Domini, & à peccatis magnâ cum deestatione recedat.

*Illuminati-
va.*

Sap. 7.

Unitiva.

Via illuminativa est, quando intellectus voluntati proponit amandam pulcritudinem virtutis, omnique studio quærendam, maximè Christi & Sanctorum exemplo; ita ut (quemadmodum de sapientiâ loquitur Salomon) præponat eam regnis & sedibus, & divitias nihil esse ducat in comparatione illius.

Unitiva via dicitur, quâ beneficiorum Dei & perfectionum consideratione, voluntas in Deum fertur per amorem, ejusque voluntati se conformat, atque ad perfectam cum eo unionem adspirat.

Hinc apparet triplex affectuum genus, quod triplici viæ respondet, in partes plures dividi posse.

*Affectus via
purgativa.*

*Affectus via
illuminati-
vae*

Affectus viæ purgativæ sunt, pudor & confusio de peccatis, dolor deisdem, & timor divinæ justitiæ, atque hinc mortificationis desiderium, ut homo illi satisfaciat.

Illuminativæ, virtutum variarum amor, spes ac desiderium eas acquirendi; rerum terrenarum & voluntatis

ratis propriæ abnegatio, imitatio Christi & Sanctorum.

Unitivæ verò, amor Dei, gratiarum actio, zelus animarum, admiratio, lætitia & gratulatio de perfectionibus divinis, resignatio, suspirium ad fontem vitæ & cælestem gloriam, &c. *Affectus via unitiva.*

Observe passim septem ferè solùm, vel octo affectus numerari, nempe præcipuos. Sunt vero ii, admirationis, compunctionis, compassionis, gratiarum actionis, spei, lætitiæ, amoris & imitationis, de quibus infra fusiùs. R. P. Alcantara omnem meditationem, in gratiarum actionem, sui oblationem, & petitionem resolvit. Certus omnino ordo observari non potest; sed Spiritus sancti unctio ductusque sequendus est. Id certum, quòd plenitudo legis sit dilectio, atque ad eam dirigendam meditationem omnem, imò omnes cogitationes, verba & opera. *Quot sint affectus. Meditatio omnis ad amorem dirigenda. Rom. 13.*

Observe præterea, tribus illis viis S. P. Ignatij hebdomadas Exercitiorum respondere: purgativæ enim & ejus affectibus prima subservit; illuminativæ secunda & tertia; unitivæ quarta est accommodata.

Quamvis autè meditationes & affectus singulis viis & hebdomadis proprii sunt; in unâ tamen eadèq; meditatione varii affectus illarum viarum concurrere solent: verum tamen in primâ hebdomadâ, seu viâ purgativâ potissimum dolorem; in secundâ & tertiâ imitationem (qui affectus est illuminativæ) in quartâ seu viâ unitivâ amorem Dei meditans sibi propositum habet. Verùm, uti dictum est, ferè semper & commodè hi affectus miscentur eadem in meditatione, ita ut primò, meditâs de virtute, quæ proponitur, hætenus neglecta doleat; Deinde exemplo Christi se ad ejus studiû; Tertio, amoris & gratitudinis affectu ad eam se exstimulet. *Varij affectus concurrunt. Nota.*

De hæc meditandi methodo Andreas Capella fusè scribit in præmio suarum meditationum, etsi ille de quolibet Euangelio secundùm tres vias, tres item diversas

*Bonavent.**Materia
Meditationis
ex S. Bonaventura.*

diversas formet meditationes. Divus autem Bonavent. in libello, qui dicitur parvum bonum, pluribus in hanc sententiam sic disserit: Ex his autem liquide patet, qualiter ad sapientiam sacrae Scripturae perveniri potest, meditando scilicet circa viam purgativam, illuminativam & perfectivam. Et non solum sacrae Scripturae continentia, imò omnis Meditatio nostra debet versari circa ista. Nam omnis Meditatio sapientis, aut est circa opera humana, cogitando scilicet quid homo fecerit, & quid debeat facere, & quae sit ratio movens; aut circa opera divina, cogitando scilicet quanta Deus homini commiserit, quòd omnia fecit propter hominem, quanta dimiserit, & quanta repromiserit, & in hoc clauduntur opera creationis, reparationis, & glorificationis; aut circa utrorumque principia, quae scilicet sunt, Deus & anima, qualiter haec ad invicem sunt copulanda. Et in hoc debet stare omnis Meditatio nostra, quia est finis omnis cognitionis & operationis, & est sapientia vera, in qua est cognitio per veram experientiam. In huiusmodi autem Meditatione tota anima nostra debet esse intenta, secundum vires suas, scilicet secundum rationem & synderesim, conscientiam & voluntatem. Nam in huiusmodi Meditatione, ratio percunctando affert propositionem, synderesis sententiando profert definitionem, conscientia testificando infert conclusionem, & voluntas praeligendo defert solutionem. v. g. si quis velit meditari circa viam purgativam, debet ratio quaerere, quid debeat fieri de homine, qui templum Dei violavit. Synderesis respondet, quòd aut debet disperdi, aut lamentis poenitentiae purgari. Conscientia assumit, Tu es ille, ergo vel oportet te damnari, aut stimulis poenitentiae affligi. Deinde voluntas praeligit, scilicet quòd recusat damnationem aeternam, & assumit voluntarie poenitentiae lamenta. Juxta hunc modum in viis aliis incedendum est. Subnectit deinde quomodo per orationem perveniatur ad

ad sapientiam veram Postquam, inquit, diximus, qualiter ad sapientiam veram pervenitur legendo & meditando, videndum est, qualiter ad ipsam pervenitur orando. Sciendum autem est, quòd in oratione sunt tres gradus, sive partes ipsam perficientes: quorum *Orationis partes tres.* Primus est, deploratio miseriarum: Secundus, imploratio misericordiarum: & Tertius, exhibitio latriarum. Latriarum autem cultum Deo exhibere non possumus, nisi ab eo gratiam consequamur. Misericordiam verò Dei ad dandam gratiam non possumus inflectere, nisi per deprecationem & expositionem nostrarum miseriarum & indigentiarum. Nam omnis perfecta oratio debet habere istas tres partes. non enim sufficit una sine alterâ, nec perducit ad metam perfectam, & ideò hæc tria sunt semper jungenda. Deploratio autem miseriarum, circa quamcumque miseriam sit, sive pro perpetracione culpæ, sive pro amissione gratiæ, sive pro dilatione, gloriæ; hæc tria debet habere, scilicet dolorem, pudorem, & timorem. Dolorem propter damnum, sive incommodum: pudorem propter opprobrium, sive inhonestum: timorem propter periculum, sive reatum. Ex memoriâ enim præteritorum oritur dolor, dum recordatur quid omisit, quia præcepta justitiarum: quid commisit, quia prohibita culpæ: quid amisit, quia gratuita vitæ. Ex intelligentiâ præsentium oritur pudor, dum attendit, ubi sit, quia longè in imo, quæ fuerat propè in summo: qualis sit, quia fœda in luto, quæ fuerat pulchra imago: quæ sit, quia ancilla, quæ fuerat libera. Ex providentiâ futurorum oritur timor, dum præcogitat quòd tendat, quia ad inferos properat gressus ejus: quid occurrat, quia judicium inevitabile, justum tamen: quid assequatur, quia stipendium mortis æternæ. Imploratio autem misericordiarum, circa quamcumque gratiam invocetur, debet esse cum affluentia desiderii, quod habemus à Spiritu sancto, qui postulat pro nobis *Rom. 6.* gemitibus inenarrabilibus; cum fiducia spei, quam habemus

habemus à Christo, quia mortuus est pro nobis omnibus; cum diligentia implorandi subsidii, quod quaerimus à Sanctis omnibus. Quando enim hæc tria concurrunt, tunc imploratur efficaciter divina misericordia. Affluentiam desiderij habemus à Spiritu sancto, quia per ipsum sumus à Patre in Filio prædestinati æternaliter: per ipsum sumus renati in baptismo spiritualiter: & quia per ipsum sumus congregati in Ecclesia unanimiter. Confidentiam spei habemus à Christo Domino, quia pro nobis obtulit se in cruce in terrâ, quia pro nobis offertur à Matre Ecclesia in Sacramento altaris, in sui memoriam, & quia pro nobis apparet vultui Patris in cælo in gloriâ. Diligentiam implorandi subsidii à Sanctorum consortio habemus ab Angelorum ministrantiû patrociniis, à Beatorum triumphantium suffragiis, & iustorum militantium meritis. Exhibitio autem latriæ, ex quacumque gratiâ Deus colatur, debet habere tria. Primò enim ob gratiam impetrandam, debet cor nostrum incurvari ad Dei reverentiam, & adorationem. Secundò, debet dilatari ad benevolentiam, & gratiarum actionem. Tertiò, debet elevari ad complacentiam, & mutuam allocutionem, quæ est sponsi & sponsæ, quam docet Spiritus sanctus in Canticis. In quâ si recto ordine fiat, mira est exultatio & jubilatio: ita ut ducatur homo in excessum, & faciat animam dicere, Bonum est nos hîc esse. Et hîc debet oratio nostra terminari: nec antè debet homo desistere, donec ingrediatur in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei: ubi in voce exultationis est sonus epulantis. Ut autem incurveris ad reverentiam, admirare immensitatem divinam, & intuere modicitatem tuam. Ut dilateris ad benevolentiam, attende benignitatem divinam, & vide indignitatem tuam. Ut eleveris ad complacentiam, recogita charitatem divinam, & considera tepiditatem tuam: ut ex hujus collatione pervenias in excessum mentis.

*Exhibitio
latriæ.*

Matth. 17.

Psal. 41.

R. P. Arias

R.P. Arias in libello de modo meditando, monet similiter post virtutis exercitationem, & aliorum affectuum, ex consideratione alicuius perfectionis divinæ, amorem excitandum esse. Id ut clariùs adhuc appareat, attende Meditationem ad morum emendationem maximè institui, ac proinde virtutem aliquam in eâ considerandam vel eliciendam: neque id otiosè tantum; sed reflectendo ad se, & videndo, quàm malè eam coluerit. Atque ita dolor primæ hebdomadæ, ac viæ purgativæ affectus excitatur. Deinde proponit eam exemplo Christi & Sanctorum exercere, qui est imitationis affectus, secundæ & tertiæ hebdomadæ, ac viæ illuminativæ respondens. Tum amore Dei, & beneficiis ejus, & consideratione divinarum perfectionum, se ad caritatem accendit anima, quæ est quartæ hebdomadæ, & viæ unitivæ.

*Quomodo in
Meditatione
ad se oportet
reflectere.*

Ferè igitur in primâ hebdomadâ proposito vitio admissio, aut virtute omisâ dolor; Secundò, imitationis affectus; Tertiò, amoris sequitur. In secundâ; Primò, imitatio exempli proponitur; Secundò, dolor & pudor de eo neglecto excitatur; qui etiam consideratione beneficiorum Dei augetur: & denique amor accenditur. Quòd si perfectio aliqua divina, vel beneficiù sit Meditationis materia. Primò, ad amorem tendit Meditatio: Mox sequitur dolor de præceptis amantissimi Domini neglectis. Denique imitatio Christi decernitur.

Ordo affectuum.

Dixi generatim virtutem in Meditatione cum reflectione ad se eliciendam atque considerandam esse, ante omnia tamè fidei, spei & caritatis exercitiù usurpandù: & verò id per facile. Credere enim, certoque nobis persuadere debemus, omnia propter nos quasi solos (id enim valdè affectù auget) ex summo amore creata esse à Deo, imò itè à Christo Domino gesta, dicta factaq; esse: atque ita fides exercetur, & viva efficitur. quod magno opere commendat Puente, §. 6. introd. & Barthol. Salutiùs in horto Orat. cum verò animadvertimus facta

*Fidei & spei
& caritatis
affectus extendendus.*

cta

Et esse propter nos, spes & desiderium imitandi facile oritur, ac denique caritas; etsi illa magis spontaneo Dei & Christi erga nos amore excitatur. Quod si meditatio hoc pacto ad virtutem Theologalem, vel moralem exercendam dirigatur, ac voluntati proponatur, ita ut ab eâ ametur, vitiumque detestetur, fructuosa semper meditatio futura est.

Quid apponendum in sententiâ meditando.

Quid de virtute vel vitio.

Quid eliciendum ex creatura consideratione. Matth. 6.

August. de Spiritu & animâ, c. 70.

Inuentione ad perseverantiam in meditatione eiusque affectu. 1. Attendere circumstantias.

Quid si materia meditationis tantum sic sententia aliqua? tum etiam virtus, quæ in eâ commendatur, per circumstantias consideranda; quis, quid, ubi, cur, quomodo, quando, eam Christus Dominus, aut Spiritus sanctus per Apostolos aut Prophetas pronuntiârit. Si vitium in meditatione aliquod arguatur, & vel illud, vel virtus ei opposita pro materiâ accipiatur, tum, velut in imagine de ponderatione ostenditur, vitium & virtus consideranda, & ponderanda occasio utriusque. At verò si aliquam creaturam contemplari libet, præter divinas perfectiones in eâ elucentes, facile instructionem aliquam, id est virtutem, ex eâ decerpes; ut docuit Christus Dominus discipulos Deo confidere ex consideratione volucrum cæli, & liliorum agri: dolorem verò, quod impigrè virtutem in materiâ meditationis propositam vitâ tuâ non expresseris, excitabis: atque ita fit, quod D. Augustinus lib. de Spiritu & animâ c. 70. meditatio parit scientiam, scientia compunctionem, compunctio devotionem, devotio verò perficit orationem.

Exiis, quæ hactenus dicta sunt, apparet, quemvis sese exercere posse eadem meditatione in tribus viis, seu earum affectibus. Sed quia in iis perseverare sæpè difficile, tria adverte, quæ non parùm juvabunt. Primum est, attende diligenter & suaviter circumstantias exempli Christi, vel virtutis, violentia enim cavenda est, cum animus suavi potius, & penitioris inspectione circumstantiarum virtutis propositæ moveatur, quàm violentiâ, & actuum ac propositorum iteratione.

Secun-

Secundum, considerationes aliquas certas habere, & quasi locos communes, quibus, uti Guilielmus Parisiensis loquitur in Rhetoricâ suâ divinâ (quâ modum meditando tradit) orationem simul fecundam & fructuosam efficere possimus. Hujusmodi locos suggerit D. Vincentius tractatu de vitâ spirituali, & alii. Vide- tur autem omnis quasi meditatio in genere deliberativo versari: quia scopus ejus qui meditatur, hic esse debet, pios affectus excitare, animum suum torpentem aut dubium, ad Dei laudem, ad virtutem propositam, & saniora consilia capeffenda adhortari, quod his quæ sequuntur locis seu capitibus commodè fiet.

Postquam enim in aliquo mysterio aut perfectione divinâ, aut creaturâ, quam sibi quis considerandam proposuit, virtutem animadvertit, quam animæ suæ in- sitam optaret; dolorem excitet, quòd eam non fuerit hæcenus secutus, & sequi proponat; sed cum id absque Dei gratiâ nequeat, coram Deo humilitatem & diffi- dentiam sui, & in Deo confidentiam exerceat.

Deinde ut voluntatem accendat proposito sibi fine, Primò attendat, quæ commoda ad finem illum con- sequendum ex virtute, quæ item ex vitio incommoda proveniant; & quænam utriusque sint occasiones.

Secundò, si ulterius se permovere cupiat, cogitet quid amico se consulenti super virtute illa colenda sua- deret, quâque similitudine eam illi commendaret; at- que idem ipse facere decernat.

Tertiò, attendat quid in morte; Quartò, quid in ju- dicio fecisse optabit, quamque diligenter virtutem il- lam N. tunc coluisse; ac demum Quintò, quid in om- ni æternitate.

Sextò, quomodo Sancti exemplo suo in eâ N. virtu- te nobis præiverint, quidve de ea senserint & scripse- rint, quid item Philosophi ac sapientes viri.

Septimò, reputare licet quâ pace, libertate & gloriâ fruatur, qui virtutem illam N. colit; & contra quam inquie-

2 Locos cer-
tos habere.
Guilielm.
Parisien. in
Rhet. de v.
Vinc. tract.
de vit. spir.

Praxis eorū
qua dicta.
Elicienda ac
consideranda
virtus N.
Exercenda sui
diffidentia.
Quibus me-
dis volūtas
excitanda?
Attende r.
fina creatio-
nis; & quam
virtus ad
eam accom-
modata.
2. Cogita
quid amico
suaderes, &
quo simili.
3. Quid in
morte 4. in
judicio, 5. in
æternitate
optares.
6. Sanctorū
exempla.
7. Exponda
pacē virtu-
tus comitem.

inquietus, inhonoratus & obnoxius, qui vitio servit.

8. *Gaudium
liquidum
ejusdem.*

Octavò, quærat à se, quid tandem sit, quod ut vitium virtuti N. præferat, invitet; & comperiet, nihil esse nisi fœdam & fugacem minimè cor exsatiantem voluptatem. Assurgas igitur animo generoso cum filio prodigo & dicas: Potius per virtutem ibo ad fontem omnis boni, & hauriam aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, & fatiabor; quàm cœnoso mundi lacu frustra laborem sitim per vitium explere.

Isaia 12.

9. *Exemplo
Christi &
doctrinâ ta
excita.*

Nonò, ex Christi Domini vitâ virtutis N. propositæ exemplum est conquirendum, & ex factis Litteris maximè sententia de eâdem, quod summa semper earum sit auctoritas.

10. *Beneficiis
item Dei
plurimis.*

Decimò, beneficia Dei commemoret, quibus videat se vel saltem gratitudinis nomine obstringi, ad virtutem N. illam amplectendam.

11. *Tandem
elige potius
Deo per vir-
tutem N.
servire, quàm
diabolo per
vitiium.*

Vndecimò, tandem sic statuat apud se: Nemo potest duobus dominis servire; aut per vitium N. dæmoni, aut per virtutem N. Deo servire necesse: at longè satius Deo infinito bono & perfecto servire, quàm infensissimo hosti. itaque ex ejus amore sincero id facturum sese ejus gratiâ decernat.

12. *Petitionē
& obsecra-
tionem insti-
tue, tum pro
te, tum pro
alijs.*

Duodecimò, posthæc supplex à Deo illam flagitet, & obsecret per Christi doctores, per Sanctorum intercessionem; neque illam tantummodò, sed & aliàs, in fide nihil hæsitans, seu fiduciâ plenus efflagitet.

*Quid agen-
dum peractâ
Meditatione*

Postremò, charitatis memor, Deo supplicet pro iis omnibus, pro quibus orare illum oportet.

1. *agat gra-
tias;*
2. *proposita
renovet;*
3. *agenda di-
rigat in Deū;*
4. *ad adver-
sa animum
preparet.*

Meditatione peractâ, Primò, Deo gratias pro eâ & aliis omnibus beneficiis agat, & se suaque Domino offerat. Secundò, perpendat quomodo illo die divinâ gratiâ ac Meditatione adjurus, defectus & peccata vitabit. Tertiò, prævideat, quæ agenda eodem habeat die, & quo pacto ea piè in conspectu Dei, & religiosè factururus sit. Quartò, quæ item adversa toleranda obvenire possent, atque ad ea se comparet.

Observa

Observa nullo modo præscribi, ut quisquam hunc ordinem seruet, hos omnes locos unâ Meditatione peccurrit; sed oportere istic acquiescere, ubi quæsitam devotionem assecutus fuerit. & cum sæpè sufficiat ad permovendam voluntatem, diligenter (ut supra dictum) ac suaviter attendere circumstantias alicujus exempli Christi, vel virtutis naturam, absque aliis subsidiis; patet tum tantum hisce utendum, cum anima sterilis atque arida est.

Tertium, quod ad affectus continuandos pertinet, est (ut tradunt complures) sui efficax reprehensio, interrogatio, oblatio, petitiones, obsecrationes, admirationes, desideria & optationes virtutum, seu aspirationes: quæ nihil aliud sunt, quàm breves orationes, quibus anima suum desiderium exponit, postquam illud aut Meditatione, aut Spiritus sancti gratiâ singulari exarsit. Aspirare autem potest ad Deum, ex desiderio, Primò, vitia extirpandi; Secundò, virtutis acquirenda; Tertio, imitandi Dominum JESUM, & compatiendi illi; Quarto, & maximè amandi Deum, illoque fruenti cum admiratione & gaudio de bonitate illius.

Habes igitur tres modos, quibus in unâ eademque virtute exercenda perseverare possis: ex hoc enim præcipuè manat Meditationis utilitas, maximè si, ut supra monui, non in genere proposita virtutis fiant; sed, ut crebrò dicitur, occasiones ejus sigillatim recolantur. saltem in fine Meditationis, atque ad eas anima comparetur. Propositorum etiam repetitiones plurimum commendat S. Ignatius, quæ omnia exemplo clariora evadent, & iis, quæ singulis imaginibus subjiciuntur. Tria autem illa maximè sunt; Primò, imaginis, partiumque ejus fusior declaratio; Deinde, cum ea materiam Meditationis complectatur, Meditatio; Postremò exercitium seu oratio, quæ sit velut praxis, ac Meditationis argumenta contineat, & cuius quacunque de virtute meditari volenti subserviat. Generales enim hi loci sunt,

Non omnes loci unâ Meditatione percurrendi.

3. Medium ad affectum continuandum.

Aspirationes: quæ dicantur.

Fontes carit.

Proposita quomodo faciendæ & occasiones captandæ.

tuat proposita repetere.

Tria maximè quolibet capite continentur.

Oratio est uti praxis Meditationis.

*Aridus pro
quavis vir-
tute oratio-
nibus his uti
potest.*

*Nota diligē-
ter, esse sen-
sim orationes
legendas.*

*Imaginibus
oculos ani-
mumq; pas-
cere iucun-
dum iuxta
ac utile tum
ad virtutis
amorem,
tum ad deli-
berationem
instituentiā.*

*Nota.
Praxis bre-
vis, sed utilis
meditandi.*

sunt, ut ita dicam, & motiva ad virtutem & perfectio-
nem in modum orationis redacta, stimulosque addere
possunt volenti virtutem, v.g. patientiam, in animo suo
agere radices. Fac igitur quempiam patientiæ in aliquo
mysterio propositum exemplum velle æmulari, & rem-
issam experiri voluntatem, licebit ei hinc petere sub-
sidium; & siquidem meditari non libet, potest singu-
las orationes, quæ generatim ad omnes virtutes refe-
runtur, sigillatim huic sibi propositæ vel optatæ virtuti
applicare, prout inferiùs & ex usu ipso perspicuè appa-
rebit. Exempli gratiâ, in Nativitate, humilitatis exem-
plum contemplatus, optat imitari, neque ob distractio-
nem animi, capita singula expendere commodè potest
(hoc enim faciendum esse hîc præscribitur, non legen-
das meditationes aut orationes) quid faciet? utile erit,
si virtutem, ejusque circumstantias paululùm confide-
ret, ut in imagine, ad spatium unius atque alterius Mi-
serere; ac tum exercitium seu orationem legat, quæ post
meditationem de confidentiâ in Deo ac diffidentiâ sui
collocatur, sed sensim, & meditatè. Deinde ulterius
pergat, si opus esse judicaverit. Vbi enim (ut jam di-
ctum est) devotionem quæsitam invenerit, nihil ulte-
riùs quærat oportet, sed in eâ Spiritus sancti ductum
sequendo permanendum est. Verùm, uti dixi, ex usu
fructus ipse apparebit. Quid enim suavius atq; utilius
quàm secum velut de profectu deliberando hoc pacto
sefe ad virtutem accendere, & animo quieto ac cor-
pore, has imagines contemplari? oculosque atque a-
nimum pascere? quid fructuosius ei, qui dubitat de vitæ
genere, de munere, de perfectiorum aliquo capessendo
exercitio, quam locos illos in otio sancto, in secreto
cubiculi & cordis sui obambulare, viamque simul salu-
tis optimam explorare.

Ad usum eorum, quæ dicta sunt, facilem ac com-
pendiosum; postquam materiam, seu punctum lege-
ris, forma tibi has quæstiones. Prima, quid in hæc ma-
teriâ

teria notandum mihi est? Secunda, quid ponderandum ad profectum? Tertia, quos affectus ex hac ponderatione seu consideratione elicere & sentire in me debeo? Quarta, quomodo & quibus circumstantiis, quæ mihi hic proponuntur documenta, factis exequar? Quinta, quomodo ex his cum Deo meo loquar? Alia praxis meditandi etiam esse potest R. P. Borgiæ, qui ex omnibus eliciebat, Primò, confusionem; Secundò, gratiarum actionem; Tertiò, petitionem, ut pluribus est videre in ejus opusculis. Huic consimilis illa R. P. Capellæ, quâ monstrat in omnibus Primò, considerationem; Secundò, gratiarum actionem; Tertiò, confusionem; Quartò, petitionem; Quintò, oblationem sui esse exercendam.

Exercitium seu praxis eorum quæ dicta sunt, complectens meditandi modum & præparationem ad Communionem, variosq; affectus, & virtutum actus, quæ ante sacrum, meditationem omnem & post ista, ac subinde in illâ, animo colligendo usui esse potest.

DEVUS qui presentissimus & intimus hic mihi & omni creatura es: ecce ego adsto coram te & curiâ tuâ reus & inops à virtutibus NN. quas meritò à me exigis: verumtamen, uti spero & cupio, toto corde amo te: ignosce obsecro amanter dolenti quod minus quàm debeo, amarim, quodq; tot gratijs ac donis tuis (pro quibus tibi cum omnibus Angelis, & sanctis tuis ac creaturis humillimè gratias ago) tot de perfectione, & virtute hac N. mandatis ac consilijs non responderim. Da mihi bone JESU jam id facere; credo enim & scio hoc à solâ tuâ gratiâ uti & omne donum non ab industriâ nostrâ manare: verè enim dixisti: Sine me nihil potestis facere, Da igitur; & indue me hoc affectu & virtute N. ex alto, hanc enim mihi etiam ipsa ratio, & utilitas, sic N. suadent, imò & sapientum mundi facta N. & di-

Præsentia
Dei.
Humilia-
tio sui.
Actus con-
tritionis &
amoris,
Petitio.
Diffidentia
sui & con-
fidentia in
Deo.
Virtute q
suadet.
Ratio.
Sapientes.

kk

sta,

Natura rerum.
 Mors.
 Judicium.
 Æternitas.
 Exempla Sanctorum.
 Pax animæ.
 Gaudium de virtute.
 Christi exemplum & Scripturæ adhortatio.
 Actus fidei.
 Actus martyrii.
 Admiratio.
 Beneficia Dei invitât ad virtutē.
 Zelus & compassio erga Christum.
 Actus amoris Dei.
 Proximi.
 Inimici.
 In proximo agnoscere Christum.
 Oratio pro proximo.
 Communicatio cum Deo.
 Omnia accipere de manu Dei ac de nullo queri.

cta, atque aded in naturâ rerum velut imagine & similitudine eam depingis: mors instans stimulat, & iudicium irrevocabile, & æternitas interminabilis. Exemplo suo & doctrina sic ad eam nos provocant sancti, & pax qua exsuperat omnem sensum, & gaudium in Spiritu Sancto, sed insuper ô amantissime JESU, ad eam nos invitas potentissimo exemplo tuo N. & Scripturâ tuâ N. ô æterna veritas hortaris. Huic & Ecclesia cum certâ fide credam paratus eam vitâ & sanguine ex amore tuo etiam hac horâ obsignare, qui fieri potest ut perinde ac si nenia forent tepidus permaneam? Deus bone quomodo saltem innumera beneficia, non me compellent? Quomodo non super omnia bonitas tua Deus meus? Utinam ego saltem, cum totus ferè mundus in maligno positus, vitâ & passioni tuâ, ô Christe JESU injurius sit, tibi vitâ sanctâ solatio forem, ego quem tot benedictionibus dulcedinis immerentem prevenis: Deus bone hęcine scio & credo, & spero, & te amo, ac torpeo? O Domine adauge nobis fidem, spem, & super omnia tui amorem. Diligo quidem te toto corde meo, sed multo ardentius desidero & affectu omnis creatura quantum licet, quantum possum: Proximum verò amo non verbo, sed opere, & sincere ut meipsum propter te maxime alienos à me quibus omnia ex nunc dimitto, sicut tu omne debitum dimisisti mihi, & te in eis agnosco, cupioq; tibi in eis omnia facere, quos & omnes maxime quibus debeo, & uti debeo commendo infinitæ bonitati tuæ, simul & animas defunctorum. Vnum autem peto à te Domine & requiro, suscipe me totum, & da mihi teipsum, & presentiam tuâ, simul & providentiam in his NN. & in omnibus semper agnoscere & laudare, illiq; non alteri præterita NN. presentia NN. & futura NN. seu bona seu mala juxta legem tuam tribuere: ac proinde de nullo queri vel dolere. Da stare inter adversa NN. securum & absque terrore: quorsum enim timeo cum in pondero, numero, & mensurâ à te Deo meo, patre, medico, & duce optimo ac presentissimo pro æternâ sapientiâ & bonitate sint ordinata? Da stare in te erectum; neque spe creatura inniti, quantum doleam se subtrahere; abnegavi enim & abnego omnem & omnia propter te que sperare potest homo aut optare. Da mihi ut neque gaudio trahar, aut exemplo vel respectu hominum ad ulla mundi

mundi bona incliner. Habeo enim hic ea omnia in te fonte omnis boni, & vera (cùm illa p̄icta sint & falsa) & sincera (cùm illa felle, & veneno mixta) & ultro parata cùm illa agrè acquirantur, nec momento securè & absque amaritudine possideantur. Habeo ea quidem in te ubique, at maxime in V. Eucharistia, ad quam velut fontem aqua viva sitivit, & sitit anima mea. Da mihi de tam præclaro calicè bibere, & illo inebriari ab ubertate domus tua, & cibo Angelorum satiari; sic enim spe plenus obtinenda gratia tua, & salutis mea, quam supplex per vitam & mortem Christi JESU peto (dixisti enim: petite & accipietis) ambulabo coram te corde tranquillo & perfectò, nihilq; sperans aut timens sic N. semper de te cogitabo, sic loquar N. tecum vel de te crebrò amanter & piè sic actiones NN. ad te dirigam, & operabor hoc velut ultimo die imò horâ salutem meam: donec, donec asp̄iret illa: quando hoc erit! donec, donec asp̄iret illa dies, & inclinentur umbra, donec quod ardentè exopto & sincerè, uti nosti, desidero, te videam, te perfectè amem, & complectar te unum: sim tecum & liquecam in te, donec sis mihi omnia in omnibus, Deus cordis mei & omnia. Amen.

Animi ad
adversa
præparatio.
Spei & om-
nium affe-
ctuum in
Deum con-
versio.
Contemptus
rerum hu-
manarum.
 Applicatio
ad Com-
munionē.
 Ordinatio
actionum,



DECIMÆ QVINTÆ IMAGINIS
ANNOTATIO.

Vis modum meditandi nosse ? intuere illum in mysterio Nativitatis.

Preparatione præmissa delige tibi meditandi materiam: v. g. A Nativitatem Christi: hanc tamquam pictor in B corde quod C pax sustinet, id est, tranquillum est ac pacificum, depinge, seu perpende cum omnibus circumstantiis. Primo, itaque expende D quis scilicet nascatur. Secundo, E quid scilicet dicatur, aut fiat, & quomodo. Tertio, F ubi & quando. Quarto, G cur, seu quo fine: nempe, ut Adam, & humanum genus redimerentur. Quinto, ex singulis collige, & nota H virtutem aliquam (uti vides ex singulis areolis circumstantiarum lineam ad virtutem duci, & te quasi manu ducere) quamq; eius habeas I occasionem, considera; ac detestare K vitium illi contrarium. Excita sæpe te ad L affectum gratitudinis (cùm ubique beneficentia Dei appareat) M gaudii, N admirationis, O compassionis: in primis tamen ubique P fidem, spem, & charitatem exerce, & observa Q virtutem que in mysterio elucet ac docetur. Quòd si Meditationem institueris de solâ aliquâ R doctrinâ seu documento, adverte circumstantias prædictas, maxime quid, seu quam S virtutem doceat, quæq; sit eius occasio, unaq; affectus prædictos exerce.

CAPVT